GIGCH

APPARATUS CRITICI AD IUVENALEM IN BIBLIOTHECA ACADEMICA LEIDENSI ASSERVATI DESCRIPTIO ET SPECIMEN.

APPARATUS CRITICI

AD

IUVENALEM

IN

BIBLIOTHECA ACADEMICA LEIDENSI ASSERVATI

DESCRIPTIO ET SPECIMEN.

APPARATUS CRITICI

AD

IUVENALEM

IN

BIBLIOTHECA ACADEMICA LEIDENSI ASSERVATI

DESCRIPTIO ET SPECIMEN.

EDIDIT

I. VAN GIGCH,
LITT. HUM. ET IUR. CAND.

FASCICULUS PRIMUS.

P. v. Winterfeld.
1890.

LEIDAE,
APUD H. W. HAZENBERG ET SOCIOS.
MDCCCXLIX.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PRAEFATIO.

Fata huius libelli mecum reputanti non una revera exstat causa cur laeter, animumque iucundissima recordatione aut sincerae amicitiae aut summae benevolentiae commoveri sentiam.

Ubi enim de universis meis studiis Iuvenalis cogito, incedit simul duorum me cogitatio virorum, amicitia mihi coniunctissimorum. Tu enim, Keyzer, vir amicissime, dum una tecum in Academia esse licuit, non tantummodo scriptoris istius laudes et utilitatem, quae ex eius studio et in studium Iuris Romani defluerent, numquam praedicare desiisti, sed sententiae quoque tuae veritatem exemplo confirmasti. Neque tamen uno hoc nomine multa me tibi debere libenter profiteor: dulci enim amicitiae functus es officio, quum ad hocce opusculum animadversiones tuas mecum communicares et summa cum cura disputata manu tereres. Stet igitur utroque nomine hoc opellum mutui amoris monumentum!

Primum vero operi ansam praebuit contracta cum Bonnensi programmate notitia a Schopeno v. cl. edito, quam Eugenio Mehlero, viro amicissimo, me debere grato animo profiteor. Consilium edendi universa ad Iuvenalem Scholia cum cepissem, vix dicere habeo, quanta benevolentia, quantaque humanitate me exceperint et adiuverint Geelius et Cobetus, viri aestumatissimi, Professores celeberrimi, quorum hic aditum ad intima bibliothecae penetralia summa cognitaque cum humanitate quam facillimum reddidit, neque hoc contentus, ubi difficultatem praesentiret, sua eruditione et scientia iuveni viam ad scribendum munivit, ille specimina operis recitantem benevole audivit consiliisque adhortari numquam destitit.

Primum tamen illud conamen benevole, quaeso, accipiatur. Ea, quae temporis tractu fiunt leviora, initio maximopere obstant, et scribendi insolentia et enuntiandi difficultas quaedam, quibus accedit excusanda saltem verecundia: ita quidem, ut si mihi uni laborem impositum vidissem, scribendi animus et voluntas vix suffecissent.

Operis autem mei finis et institutum sat facile cognoscitur. Ex ineditis enim lucem aliquam me allaturum obscuro poëtae non desperavi, neque adhuc despero. Inchoavi, quod si mihi conceditur nec vires deficiunt, diligenter persequar.

Coepi apparatum criticum ad Iuvenalem in Bibliotheca Academica Leidensi perscrutari. Codicum, qui ibi asservantur, accuratam quantam fieri potuit, descriptionem confeci. Scholia ad Iuvenalis satiram

octavam speciminis caussa huicce fasciculo adieci, dum quae pro scientiae meae tenuitate de iis potui disputare in prooemio collegi. De quibus codicibus, ut melius iudicetur, contextus satirae octavae collationem cum contextu Heinrichiano factam apponere operae pretium esse arbitratus sum. Caetera Scholia mox, ut spero, subsequentur.

Libello fere integro typis expresso, in manus mihi incidit index Scholarum in Academia Georgia Augusta anni 1847, *quo continetur Hermanni viri celeberrimi disputatio: de codicibus Iuvenalis recte existimandis, de qua paucis saltem dicendum fuisset, quum Iuvenalis codices Leidenses ad recensionem pertineant nimis acriter forte a summo viro, nimis generali certe nomine, impugnatam, qui Pithoei codicibus, Budensi deperdito imprimis, magnam tribuens auctoritatem, tacite codicum magnae, quin imo maiori parti, omnem vim abiudicare studet. Sed de hisce in sequentibus sermo erit. Animadvertere liceat minime intempestivam fore factam satirae collationem, etiam si sententiam Hermanni omnino amplecterer: quia singulorum codicum, qui ad vulgatam, non Pithoeanam, recensionem pertinent, teste ipso summo viro in programmate supra laudato pag.* 17, *lectiones et ab Achaintrio et ab ipso Rupertio tanta vel negligentia vel confusione descriptae sunt, ut iudicio accurate ferendo materia non suppetat.*

Restabat, ut et marginalia in editis excuterem. His ob varias causas alium fasciculum destinavi: quarum praecipua erat, quod nondum satis perspectum haberem, quid ex iis ab editoribus iam esset receptum.

Neque me fugit, Rupertium in indice cod. MSS. Iuvenalis p. 112 *professum esse, se Nicolai Heynsii marginalia, quae exemplo Iuvenalis Henniniano adleverat ab Herbellio accepisse, quorum vestigia tamen in editione Rupertiana nondum deprehendi.*

Perparum profecisse rectam Iuvenalis intelligentiam ex iis, quae scripsi, equidem penitus sentio. Nihil amplius autem scribere mihi proposui quam specimen quoddam, cui tamquam fundamento, maiora aliquando possent superstrui.

Scr. Leidae M. Aprilis MDCCCXLIX.

PROOEMIUM.

Praeter veterem ad Iuvenalem Scholiasten [1]), qui in omnibus alicuius momenti editionibus circumfertur, Scholiorum, ut ita dicam, plane alia familia exstare videtur, nomine quidem cognita, sed quae revera usque ad hunc diem in suis latebris occulta remansit. Bonum factum igitur, quod quum anno huius saeculi 45° Schopenus, vir eleganti latinae linguae doctrina celeberrimus Lugdunum ibidemque in Academicam Bibliothecam venit, cogitatio eum incesserit inspiciendi et aliquatenus excutiendi Iuvenalis, qui ibi asservantur, octo codices. Licet vero pro tempore satis festinanter haec omnia explorasse videatur, tamen hoc ei debemus, quod aliorum Scholiorum specimen in lucem prodierit atque innotuerit, editum in programmate Gymnasii Bonnensis anno 1846—1847.

Attamen iam antea neminem, exstare eiusmodi Scholia, latere potuit; etenim eorum, qui tantummodo alicuius momenti esse videntur, mentionem iam olim factam reperio. Isaacus Vossius, ex cuius bibliotheca hi duo codices, quos infra accuratius describemus, in bibliothecam Academicam

[1]) Qui Probus dicitur a Valla aliisque, cuique vita Iuvenalis, quae Suetonii nomine circumfertur, pariter tribuitur. Vide Iuv. ed. Heinr. I. p. 327 seq.

pervenerunt, eos laudat saepius [1]), dum Scholia memorata videmus apud Voss. Sall. bellum Catil. 13. et in edit. Gronov. ad Gellium IX. 7. 10, quin imo in altero loco, nempe Gelliano, laudatur Scholion seu potius Scholii pars, hisce verbis: Mechanico artificio tribuit interpres Iuvenalis nondum editus ad illum versum:

Dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae [2]).

ita loquitur: *Statua Memnonis filii Aurorae ita arte quadam mechanica composita, ut humana voce regem et solem salutaret. Postea rex Cambyses volens hanc rem cognoscere, dimidiam partem abscidit, et sic postea solem tantum, non regem salutabat.*

Descriptus hic locus est e Scholio ex Cod. Vossiano (apud Schop. A), de quo mox amplius disputare in animo est, sed quam parum curiose, ne plura dicam, descriptus sit, facile cuique apparebit, qui cum adscripto Scholio comparaverit. Sic exstat in Cod.:

„Statua Memnonis, filii Aurorae, *regis Aethiopiae* ita arte „quadam mechanica *et magica* composita, ut humana voce „regem et solem salutaret. Postea rex Cambyses volens „hanc rem cognoscere *partem statuae* abscidit, et sic postea „*solum* solem, non *etiam* regem salutabat, *unde et dicit di-* „*midio Memnone.*

Antequam vero de ipsis Scholiis pauca moneamus, dicendum erit de duobus codicibus Vossianis, ex quibus fluxerunt. Prior codex Vossianus n°. 18 membr. Saec. X. fol. 91 forma 4 mai. (quem ad instar Schopeni littera A denotabo) continet satiras Iuvenalis et Persii, non una manu descriptas: Persii enim librarium indicant saec. IX. Continet Scholia in margine multasque, fere ad singula vocabula appositas glossulas interlineares. Ipsa pars, qua continentur Iuvenalis satirae,

---

1) Cf. Rupert. in Ind. Codd. MSS. Iuv. I. p. 111. 2) Cf. Iuv. Sat. XV. vs. 5.

duabus quoque manibus descripta videtur, quod non tantummodo ex paululum discrepanti litterarum forma atramentique colore apparet, sed cuius rei multo certius indicium in ipso codice exstat. Supersunt enim in nonnullis codicis partibus vestigia notarum, quae Tironianae dici solent, quibus alter librariorum usus esse videtur, dum alter timuit ne tunc iam temporis earum notitia evanuisset, quod facile inde apparet, quod in plurimis locis, eiusdem temporis manu, notis Tironianis vocabulum iis significatum suprascriptum legimus. Sed de notis istis mox videbimus. In primis satiris uberrima sunt Scholia, paululum rarescunt in ultimis, non tamen plane evanescunt. Nitide omnia sunt scripta, quamvis librarios omnium rerum rudes arguant, quod imprimis aut male coniuncta aut absurde divisa vocabula demonstrant. Compendia sunt multa, nec sibi constantia, vulgaria tamen, ita ut facile intelligantur. Sic v. c. $\overline{\text{d}}\overline{\text{r}}$ pro *dicitur*, $\overline{\text{ht}}$ pro *habet*, $\overline{\text{dm}}$ pro *deum*, $\overline{\text{tra}}$ pro *terra*, $\overline{\text{dnm}}$, pro *dominum*, ꝓ pro *pro*, ꝑ pro *per*, p̄ pro *prae*, $\overline{\text{oms}}$ pro *omnis*, ÷ pro *est* caet. Littera *m* non scribitur sed supraducta lineola indicatur, apostrophe ponitur pro syllaba *us*, parvum *r* syllabae imae adhaerens pro *ur* ut: *cogant*^{r} et sic reliqua. Sunt denique pauca Scholia alia littera aliaque manu hic vel illic in cod. dispersa, sed haec tam absurda sunt et futilia ut vix homine digna videantur. Margo in primis paginis aliisque codicis partibus corrosus maiorem praebet difficultatem, ita ut saepius coniectura restituenda sint quae temporum tractu evanuerint [1]).

Alter codex Voss. n°. 64 membr. superiori aliquantulum recentior fol. 59 form. max. eadem fere continet Scholia, de quorum lectionum varietate infra videbimus, non tamen Persii satiras. Adscripta sunt in fine verba: *Decimi Iunii Iuvenalis liber explicit satyrarum.* Sequitur statim fragmentum vel Scholion, ut videtur, rhetorici generis, tam presse et minu-

[1]) Vidit hunc cod. Kisselius, quem vid. in Diss. de Persii Sat., Trai. ad Rh. 1848.

tissima littera conscriptum, ut singuli litterarum ductus non nisi magno cum labore distinguantur. Scholia in hoc codice saepius deficiunt Sat. III. 39 — V. 24; X. 166 usque ad finem et XIII. 152 usque ad finem. Caeterum exciderunt nonnullae satirae. Ad versum ultimum satirae X adscripta sunt verba manu multo recentiori, quae et in aliis huius codicis partibus nonnulla notavit: *Explicit híc satyra decima. Híc deest Satyra undecima, duodecima et centum viginti tres versus Satyrae decimae tertiae, cuius haec sunt reliqua.* Prima pagina continet versiculum, magna pro parte corruptum, infimae Latinitatis, quem hic describere operae pretium non est, quum praeterea non ad Iuvenalem sed ad mathematicum quoddam opus pertinere videatur. Subsequitur in codice (quem *B* dicam) vita Iuvenalis, partim iam descripta in edit. Iuven. Henninii, ut apparet ex prolegomenis, ubi haec addita sunt [1]): *Sectio I. Vita Iuvenalis, auctore ut putatur Suetonio Tranquillo ex vet. cod. MS. Is. Vossii V. Cl. auctior.* Collatus est codex, nisi improbe, certe indiligenter; quae conferendi ratio locum dedit iustis Rupertii querelis: „Ex „quo probabile fit, illam nisi a Suetonio certe ab anti- „quo aliquo grammatico profectam esse, et seriores deinde „grammaticos seu monachos, eam transscribentes, alia omi- „sisse, alia vero de suis attexuisse: *cuius generis plurimas „interpolationes exhibet Vossianus; quas ab Henninio et, qui „eum secuti sunt, sodalibus Bipontinis receptas esse mireris, „quum vel ieiunae sint vel ineptae*" [2]). At codex non est interpolatus; dedit Henninius Iuvenalis vitam auctiorem aeque absurde conflatam, ac si cui veniret in mentem ex Plutarchi vita Ciceronis Sallustii bellum Catilinarium edere auctius. Cuius rei testimonium sit, quae subsequitur Iuvenalis vitae ex cod. B. facta collatio.

---

1) Cf. Iuven. ed. Henn. in proleg. 2) Cf. Iuven. ed. Rup. p. XI. Heinr. I. p. 329.

VITA IUVENALIS EX COD. VOSS. B.

Iunius Iuvenalis libertini [1]) locupletis incertum est filius an alumnus: ad mediam fere aetatem declamavit, animi magis causa, quam quod scholae aut [2]) foro praepararet. Deinde paucorum versuum satiram non absurde compositam in Paridem pantomimum, poetamque eius semenstribus militiolis [3]) tumentem, genus scripturae industriose excoluit. Et tamen diu ne modico quidem auditorio quidquam committere est ausus. Mox magna frequentia tantoque [4]) successu bis ac ter auditus est, ut ea quoque, quae prima fecerat, inferciret novis scriptis. „Quod non dant proceres dabit histrio; tu Camerinos et Bareas, tu nobilium magna atria curas. Praefectos Pelopea facit, Filomela tribunos [5]).'' Erat tum in deliciis aulae histrio, multique fautorum eius quotidie provehebantur. Venit ergo Iuvenalis in suspicionem quasi tempora [6]) figurate notasset. Ac statim per honorem militiae quamquam octogenarius urbe summotus est, missusque ad praefecturam cohortis in extremam partem tendentis Aegypti. Id supplicii genus placuit, ut levi atque ioculari delicto par esset, verum intra brevissimum tempus angore et taedio periit.

Sequitur deinde in cod. brevior vitae Iuvenalis descriptio, hisce verbis:

Iuvenalis iste Aquinas [7]) fuit i. e. de Aquino oppido temporibus Neronis Claudii imperatoris. Prima aetate siluit, ad mediam ferme aetatem declamavit: unde et quasi diu tacens

---

[1]) Vulgo: *liberti.* Ita tamen recte. [2]) Vulgo: *et.* [3]) *Militiolis:* Wolfius coni. *militiis;* vocabulum certe Suetonio indignum esset. [4]) Vulgo *magnoque.* [5]) Juven. Sat. VII. 90—92. Cf. h. l. Ruperti in not. ad vitam Iuv. 15. p. XIV. [6]) Henn. *tempora praesentia* ex cod. Vallae. [7]) Cod. *Aquinates.*

ab indignatione coepit dicens: semper ego auditor tantum. Fecit quosdam versus in Paridem pantomimum, qui tunc apud imperatorem plurimum poterat. Hac de causa venit in suspicionem, quasi ipsius imperatoris tempora notasset: sicque sub obtentu militiae pulsus est urbe. Ita tristitia et angore periit.

Videre licet quantopere omnia in editione Henniniana hic sint permixta et confusa. Coniunctis duabus vitis, quae separatae sunt in codice, exstitit farrago, de qua non immerito questus est Rupertius.

Iam vero descripto utroque codice, dicendum erit de Scholiis quae in iis continentur, de quibus ut melius iudicetur solvenda erit primo loco quaestio, utrum codex B ex antiquiore codice A sit descriptus, an potius communem, unde fluxerint, fontem habeant.

Quamquam primo fere obtutu codex B librarium ignarum atque indoctum arguit, qui nihil fere eorum, quae descripsit, aut ipse tenuit, aut intellexit, tamen multis in locis lectionis varietatem exhibet, quae egregie facere potest ad emendanda, quae in cod. A corrupta sunt. Scholiorum nonnullorum adscribemus specimina, ex quibus veritas facili ope patebit.

Sat. I. vs. 63. *Medio quadrivio:*

Poëtae in occulto scribebant carmina: sed iste dicit quae in publico fiunt vitia *publice sunt* redarguenda *et scribenda:* quadrivium *pro publico* (Cod. A.)

Cod. B: *publice etiam esse.*

desunt vocab: *et scribenda.*

quadr. *enim pro publico posuit.*

Quas mutationes a librario satis illepido haud exspectes.

Sat. III. vs. 33. *Sub hasta:*

(Pars ultima Scholii). Sub corona vero vendi dicebantur quia imponebatur eorum capitibus ramusculus arboris sicut hodie fit in equis venalibus, aut etiam quia radebantur eis capita, quod esset insignum *venationis* (Cod. A.)

Cod. B. *vendationis* pro *venumdationis.*

Sat. VI. vs. 46. *Nimiam* [1]) *pertundite venam:*

Nimiam i. e. plenam sanguine: vocat autem medicos ut eum, qui insanit *fleotument*, ut resipiscat.

Cod. B. pro *fleotument*, quod nihili est, exhibet veram lectionem *flebotoment* (φλεβοτομῶσι). Vix hanc emendationem a librario exspectes.

Sat. VIII. vs. 17. *emptorque veneni:*

i. e. debet emere venenum, ut se interficiat, potius quam malae famae sit. Nam *retimentes advena* confugiebant (Cod. A.).

Cod. B. *nam rei timentes ad venena.*

Sat. VIII. vs. 77. *subductis columnis:*

Proverbium est, per translationem dictum. Sicut, inquit, tectum columnis suis *tentatum* decidit, si columnae subducantur ita laudis *expressit*, qui in parentum laude confidit, si illorum memoria forte deficiat (Cod. A).

Cod. B. columnis suis *sustentatum.*

laudis *expers sit.*

Haec, ni fallor, exempla sufficient: emendationes istas librario non tribuendas esse, ineptissimae satis probant lectiones in cod. B, quae recte se habent in cod. A. Librarium, qui cod. B. descripsit, non satis habuisse doctrinae ut locis in cod. A corruptis medelam adhiberet, unum hoc ostendat exemplum:

Sat. VI. vs. 228. *virides in limine ramos:*

In nuptiis fores et ianuae ornabantur, vela dependebant et coronae ramorum viridium adhibebantur caet. (Cod. A.)

ubi in cod. B. pro *coronae ramorum viridium* absurde legitur: coronae *romanorum* viridium.

Denique saepius in cod. B Scholia deficiunt, quae in cod. A exstant, aut tamquam glossemata in altero cod. proferuntur,

---

[1]) Heinr. Iuv. l. l. *mediam.*

quae Scholia reperiuntur in altero, ita ut satis certo constet, unum non ex altero esse descriptum, verum communem habuisse originem utrumque.

De aetate, qua vixerit Scholiastes noster, nihil dicendum habeo, praecipue quum non ab uno homine Scholia profecta esse videantur. Nisi enim omnia me fallunt, in nonnullis Scholiis tenuis quaedam et quidem scholastica doctrina conspicitur, dum alia tam absurde sunt composita ut vix sine nausea legantur. Perspicuum fit praecipue in pannis Scholiis assutis alia manu, qui plerumque tantis ineptiis abundant, ut facile dignoscantur. Exempla aliquot afferam:

In Scholio iam laudato ad sat. III. vs. 33. exponitur cur dicatur *sub hasta vendere*. Vide Schopen. in programm. p. 4. § 25. sub corona vendi dicebantur propter *ramusculum* arboris. Vide supra l. l. Sequitur statim: aut etiam quia radebantur eis capita, quod esset insignum venumdationis. Hinc in cantico canimus de captivitate: nudati capitis inimicorum i. e. rasi.

Monachum mireris, qui fas non putet locum praeterire ubi intempestivam ineptamque canticorum laudationem non inferciat. Caeterum haec tam absurda sunt et tam parum cum praecedentibus cohaerent, ut eandem manum non cognoscas.

Miserrimum pannum alia manu assutum unusquisque videt in Scholio ad sat. VIII. vs. 29:

> *Osiri invento:* Osiris Gigas fuit, frater Tithonis, a quo dilaniatus est, quem Isis, uxor eius, diu quaesivit et tandem inventum illum salutavit, unde populus, qui eius colit festa, simulat se illum quaerere, et inveniens eum tandem salutat Graece his verbis: *εὑρήκαμεν νῦν σέ.*

Scholion adscribo ex cod. A. ad sat. VI. vs. 534:

> *plangentis populi:* plangentis i. e. celebrantis sacra Osiridis. Nam Osiris fuit Isidis maritus, gigas dilaniatus a Typhone (quod et supra leg.) fratre suo, quem Isis

diu plangendo quaesivit, unde in sacris eius planctus Isidis a populo imitatur.

Qui haec scripsit adiicere non potuit: εὑρήκαμεν νῦν σέ i. e. *veneramur te.* Quod exstat in utroque cod.

Sed nolo haec longius persequi. Editis universis Scholiis rectius de hisce iudicabitur. De patria Scholiastae nostri aeque parum compertum habemus, licet non reiicienda videatur coniectura, eum fuisse Italum, Romaeque vixisse, quod inter alia conficias ex Scholio ad

Sat. III. vs. 71. *Esquilias:*

i. e. Esquilinam portam, ubi sunt Graia balnea atque in proximo lupanaria. Viminem autem collem dicit ubi habetur amoenus locus sic dictus a vimine virgarum, *in quo sunt et albae gallinae.*

Sed haec utpote magis incerta nolo urgere. Restat ut disputemus de sententia Schopeni (in praef. programm. l.): *nec desunt* (nempe in Scholiis novis) *unde emendatio Scholiorum veterum certius institui possit.*

Componenti Scholia ex codd. Voss. A et B cum veteribus Scholiis statim apparebit, nil commune inter utraque esse nec facile vetera illa Scholia ex istis codicibus emendatum iri. Aliud quid locum habet cum Scholiis ex cod. C, quae multis locis editorum speciem praebent. Quod ut eo luculentius pateat Scholia nonnulla ad sat. VIII sibi convenientia hic describimus.

Scholia vetera.	**Codex C.**
Vs. 13. *Cur Allobrogicis:* Gallicis possessionibus, aut titulis victoriarum, aut aedibus.	*Cur Allobrogicis:* aut Gallicis possessionibus aut titulis victoriarum.
Vs. 14. *Natus in Herc. Fab. Lare.* magna ara ad Herculem (Herculis?) dicitur Romae, iuxta circum Flaminium. *Fabius* ex genere Herculis.	*Nat. in Herc.* Romae scilicet iuxta circum: erat enim ex genere Herculis.

Scholia Vetera.	**Codex C.**
Vs. 17. *emptorque veneni.* ἀπὸ κοινοῦ.* Quid prodest, qui (*si.* Schop.) propter flagitia ad venenum confugit?*	*emptorque ven.* i. e. quia propter flagitia ante ad venenum confugit ut infamiam vitet.
Vs. 30. *invento:* vir bonus ubi invenitur, impatienter et cum clamore appellatur. *	*invento:* tam raro, inquit, vir bonus invenitur, ut impatienter et cum clamore appelletur.
Vs. 32. .... ut si nanum gigantem vocemus, κατὰ ἀντίφρασιν.	*Nanum:* κατὰ ἀντίφρασιν.
Vs. 38. *ne tu sis Cret. aut Cam.* hoc est, ne sis tantum nominibus nobilis, ac turpiter vivas.	*ne tu sis Cret:* ne tantum nobilis sis et malos mores habeas: *aut Camer:* idem falsis nominibus ornatus; non utilitate.
Vs. 46. *Cecropides:* nobilis: Cecrops rex fuit Atheniensium.	*Cecropides:* Atheniensis [1]) ac per hoc nobilis; dictus a Cecrope, rege Atheniensium.
Vs. 63. *Hirpini:* in initio Sabinis. Hirpinus mons est, ubi optimi equi nascuntur.	*Hirpini:* mons Sabinorum abundans optimis equis.
Vs. 93. *Et Capito et Numitor:* spoliatores sociorum. Cilices nam piratae sunt. Ergo principes piratarum, aut spoliatores latronum. Bene igitur Capitonem et Numitorem nescio quem poeta, repetundarum damnatos a senatu, dixit piratas Cilicum, sive propter depraedationem iniustam sive ut eos facino-	*Et Capito et Num.* propria sunt damnatorum, qui cum in Cilicia piraticam exercuissent, accusante senatu, damnati sunt. Cilices enim semper exercent piraticam. Nam frequenter apud Lucanum et piratae pro Cilicibus et Cilices pro piratis ponuntur.

[1]) Cod. *Athenienses, nobiles, dicti.*

Scholia Vetera.	Codex C.
rosiores ostenderet, qui piratas olim Cilices exspoliaverunt. [1])	
Vs. 109. *Et pater armenti:* taurus aut admissarius.	*Et pat. arm.* μικρολογικῶς [2]) dixit gregem equarum, cum armentum debuerat dicere. Nam grex vel caprarum est vel porcorum vel ovium. Virgil: greges illi balantum quina redibant. *Armenti* tauros dixit vel equos admissarios.
Vs. 117. *messoribus illis:* Afros significat.	*Messores:* dicit Afros.

Hic in describendis Scholiis libenter subsisto, nec dubito, quin omnes eam sententiam amplectantur, convenientiam esse quandam inter vetera Scholia et quae in codice C continentur, tantam vero discrepantiam, ut ad emendationem veterum Scholiorum auxilii nihil praebeant. Quid enim ex praecedentibus felici eventu emendaretur, nisi forte quod quis in Scholio ad vs. 109 pro: *taurus aut admissarius* legeret: aut *equus admissarius.* Sed satis de hisce. Fortasse non ingratum nonnullis fecerim, quum specimen Scholiorum ex cod. C. protulerim. Finem disputationi de Scholiis impono; sed admoneam necesse est antea de nonnullis Scholiis, editis in Obss. Miscell. Vol. V. p. 263 et X p. 703, quae quamquam valde conveniunt cum Scholiis in codd. Vossianis, tamen alium fontem habuere, quem editor incognitus non indicavit, neque ego indagare potui. Sermo est de eiusmodi Scholio apud Heinr. II. p. 59. ad vs. 62 sat. I:

Ipse lacernatae quum se iactaret amicae [3]).

---

1) Cf. Schopen. in Heinr. Iuv. p. 403. 2) Cod. ΡΑΚΙΡΟΛΟΠΚΟΣ.
3) Cf. de h. v. Madv. Opusc. Acad. p. 36 seqq.

Scholion adscribo ex Obss. Miscell.:

Scholiastes MS. Flaminiam. Scilicet viam: Neronem carpit, qui quendam amasium ephebum secum adsumens nomine Automedon (l. Automedonta) muliebribus vestibus indutnm, dum cum illo plateas urbis lustrabat, iactabat se glorificando sua facta. Satyrice autem sub habitu feminae virum descripsit; hoc autem nomen aurigae mutuavit e Virgilio Lib. II. Aeneid. 476.

Equorum agitator Achillis
Armiger Automedon.

Ad hunc versum in codd. Vossianis hoc Scholion legitur:

Nero quendam amasium ephebum secum assumens in curru nomine Automedonta muliebribus vestibus indutum, dum cum illo plateas urbis lustrabat, iactabat se illi glorificando sua facta.

Hoc nomen aurigae mutuavit a Virgilio, qui dixit: armiger Automedon, equorum agitator Achillis. Nam armiger fuit Pyrrhi, agaso Achillis (codd. A B.)

Amicae: Satirice habitu viri feminam describit (cod. A absunt haec verba e cod. B).

Pari modo caetera Scholia conveniunt; qua de re dicemus simulac Scholia ad satiram primam in lucem edentur [1]).

Tertius Codex, qui asservatur in bibliotheca Leidensi est Bibl. publ. N°. 82 (apud Schop. C).

Codex C. est membranaceus Saec. XI. 86 fol. forma 4° mai. Continet satiras Persii et Iuvenalis. In prima pagina est charta coloribus picta, in qua Persius ipse, ut videtur,

---

[1]) Videtur haec Scholia cognita habuisse vir quidam, qui in edit. Iuvenalis Aldina, quae asservatur in Bibliotheca Regia Hagana n°. 783 poet. cl., marginalia sua adscripsit. Conficere hoc licet v. c. ad Sat. VI. vs. 15: *Iove nondum barbato*, ubi adscripsit: *nondum ad virilem aetatem perducto, ut sc. posset adulterari, nam Iovis adulteria nota sunt.* Legitur enim in codd. Voss. *i. e. nondum ad virilem aetatem perducto ut posset adulterari: dicitur enim ille primus adulterium commisisse.* Caeterum marginalia nullius pretii mihi esse videntur.

satiras suas scribens proponitur. Scribenti lucem affert portentum lucernae, qua si revera usus esset et huius vere opera *τοῦ λύχνου ἀπώζειν* dicerentur. Nitide scripta sunt omnia. Post satiram Iuvenalis decimam sextam sequitur fragmentum soluta oratione ut videtur de ludis Romanorum. Verba in fine: *Hic explicit Iuvenalis*, alia manu sunt scripta. Continet Scholia, quorum specimen iam supra dedimus, et quorum nonnulla videri possunt in Schopeni programmate, qui in infima pagina varias lectiones praecipuas notavit ad satiram tertiam. Scholia tamen contextum non ubique comitantur; desunt Sat. III. vs. 45—59 et 304—315: Sat. VI. vs. 423—435: Sat. IX. vs. 39—53: Sat. X. vs. 77—90, vs. 186—198, vs. 200—214, vs. 281 usque ad finem. Satira XI non habet Scholia, nisi vs. 41—45 et 95—105; Satira XIII. tantummodo ad vs. 152; ad Sat. XIV Scholia exstant ad vss. 69, 114, 140, 143, 193, 200, 206, 214 seqq. 279, 285, 296 seqq. in Sat. XV. desunt Scholia ad vs. 10—16, 30—82, 97 ad fin. Satira XVI habet Scholia vs. 1—35: deficiunt porro usque ad finem. Animadvertendum, quo rariora sint Scholia, eo frequentiora exstare in cod. glossemata.

Unicus locus in hoc codice est, de quo verbo dicendum videtur: versus enim Sat. VIII. 78—83 signa habent singulis verborum syllabis superscripta; quae ad musicam cantumque pertinere videntur, et valde conveniunt cum notis apud Waltherum [1]) obviis. Vide in Charta II. A. Nimis generaliter ergo Hauthal. (Zeitschr. f. Alterthumsw. 5er Jahrg. 1847. H. 5. n°. 50) contendere videtur. „Denn die Verwandtschaft der Begriffe von Gedicht und Gesang, und der Zusammenhang derselben mit Musik und musikalischen Zeichen kann unmöglich dazu berechtigen, Verse eines Satirikers (Z. B. Persius V. 60, 61. Vgl. O. Jahn. prolegg. p. CC.) eines musikalischen Vortrages für fähig zu erklä-

---

[1]) J. L. Walther, Lexic. Diplomat. Tab. VI. Sacc. XI.

ren und ihnen musikalische Zeichen zuzuerkennen" caet. Signa singulis syllabis, non verbis superscripta, loci ex satira octava natura, nempè qui ethicam aliquatenus spectat, qua re monacho imprimis placere videbatur et quidem adeo, ut versiculos istos canere conaretur, eadem signa apud Waltherum reperta l. l. sententiam confirmant notas hasce esse musicas. Vidisse se saepius istiusmodi signa in codd. mecum communicavit V. Cl. Geelius, sibique penitus esse persuasum, omnia ista signa ad musicam pertinere.

Quartus codex est Gronovianus n°. 80 (apud Schop. 70). Saec. XII. 65. fol. oct. Habet in prima pagina vitam Iuvenalis, corrosam, detritam et notis Tironianis confertam: sequitur statim disputatio viginti et unius versuum de satira. Primae satirae suprascribitur: *Incipit liber Iunii Iuvenalis, quem composuit in Neronem et in Patridem* (Paridem) *pantomimum.* Scholia et glossemata antiquiori et recentiori manu sunt scripta. Differt quoque in singulis paginis color atramenti. Scholia antiquiori manu tam minuta littera sunt scripta, ut vix legi possint, hic vel illic plane evanuerint. Ad finem satirae sextae nulla sunt Scholia: rarissima ad septimam. In Sat. VII et VIII colorem rubrum litterarum mutare voluerunt superducto atro colore atramento, tam infelici eventu, ut nonnullae paginae maculatae sint et litterae lectu difficiliores redditae. In fine satirae XV. scriptum invenitur: *diiuvenalis iunii satyrarum libri;* sequitur monachi cuiusdam versiculus hicce:

In rufo res est prodigiosa fides
Cedere principiis malo, quam cedere situ (?)
Nam medicina silet, ubi morbi causa senescit
Nec veteres morbi molimina tarda requirunt.

Caetera sunt sensu omnino vacua, quae describere operae pretium non est. Satira XVI. codici inest sed alia manu scripta: cui subiiciuntur verba: *Explicit divi* (Decimi) *Iunii Iuvenalis satyrarum liber quintus et ultimus.*

Quinto loco dicendum est de Cod. Perizoniano XVIII. Q. 38. membranaceus, Saec. XV. 91 folior. 8°. In codicis operculo scripta sunt, quae sequuntur:

„Codex hic membranaceus, integrum Iuvenalem et Per-
„sium comprehendens olim fuit Bernhardi Rottendor-
„fii, Archiatri Episcopi Monasteriensis et Paderbor-
„nensis, Ferdinandi Furstenbergii. Manus huius Rot-
„tendorfii adhuc in pagina codicis prima apparet, etsi
„obscurata ab alio. Ego hunc e manibus hominum
„tales merces ignorantium, ne penitus interiret, feli-
„cibus auspiciis Duisburgi Cliviorum redemi, die VIII
„Iulii A. CIƆIƆCCLX.

„*Κτῆμα*

„Ioh. Hildebr. Withofii

„Anno CIƆIƆCCLX

„Symbolum

„Mundus regitur opinionibus."

In prima pagina haec exstant:

D. Iunii

Iuvenalis et

Auli Persii Flacci Satyrae

dum antiquiori manu scripti sunt hi versus:

Semper ego auditor tantum, numquamne reponam
Vexatus toties rauci Theseide Codri.

Compendia in hoc codice sunt multa, nec sibi constantia. Variarum litterarum defectus uno siglo indicatur. Satira XVI in hoc codice scripta est ante XV., quacum explicit Iuvenalis. Manu multo recentiori, eadem ni fallor, qua verba in prima pagella: *Semper ego auditor tantum* caet. adscriptum est *πολυδάμας, ὅς πολλοὺς δαμάζει* [1]). Sequitur statim codex Persii eiusdem manus, cum Scholiis recentiori manu conscriptis eadem, qua Graeca supra laudata vocabula.

Sextus codex est Perizonianus XVIII. Q. 3. forma oblon-

---

[1]) Pertinent haec ad Pers. Sat. I. vs. 4.

ga: sacc. XIII. scriptus in Italia, quod ex constanti forma: *michi*, *nichil* caet. conficias. Littera minuta nec lectu facilis. Compendia multa sed plerumque constantia. Iuvenalis satiras tantum continet. Post satiram XVI sequitur fragmentum alia manu scriptum, ex quo nullum sensum potui extorquere: praecipue quia confuse scriptum est. Rara in codice Scholia, et nullius momenti. Codex non una manu videtur exaratus: alterius partis Scholia prioris partem librarium indicant. Nihil porro habet praecipui.

Codex septimus est MS. Bibl. Publ. N°. 170 A. Sacc. XIII. 48 fol. in 8°. Continet tantummodo Iuvenalis satiras quatuordecim. Satirae decimae quintae exstant septemdecim versus priores; caeteri et tota sat. XVI desunt. Continet Scholia nullius pretii et glossas interlineares. Compendia multa, nec lectu facilia. Inscribitur: *Iuvenalis de Satiris.* In fine Sat. XIII leguntur haec verba: *Hanc Satiram scribit ad Fulcinum quendam.* Sequuntur XIX litterae Graecae, quae nullum sensum praebent. Num aenigma sit, dubito.

Codex denique octavus est Bibl. Publ. N°. 136 Saec. XV. 84 fol. form. 4° min. Nihil praecipui habet hic codex. Pernitide scriptus est, dum singulae satirae littera maiuscula coloribus picta, hic vel illic auro ornata, incipiunt. Continet Iuvenalis satiras, nulla Scholia neque glossemata. In prima pagina legitur: *melius est sperare in domino quam sperare in principibus in quibus non est salus* alia manu quam qua codex exaratus est. Eadem manu sed rubro atramento in fine scriptum exstat: *Decii Iunii Iuvenalis satyrarum liber quintus et ultimus foeliciter explicit. Mediolani pridie id' Iulias* 1446. *vale qui legisti.* Alia subscripta sunt haec verba obscura: Audin. dono dedit p. [1]..... diaconus... 1569.

Hic prooemio, descriptis codicibus, finem imponere liceat; marginalibus, ut in praefatione iam verbo indicavi, alium destinavi locum.

[1]) Nomina propria expedire non licuit.

DE NOTIS TIRONIANIS.

Supersunt in nonnullis codicum partibus, ut supra iam verbo indicavi, vestigia notarum Tironianarum, quarum studium notitiamque multum promovit Koppius, qui in Palaeographiae Criticae volumine primo copiose de iis notis egit et in secundo lexicon adiecit pro rei gravitate ingens opus laborisque plenum, non tamen omnes notarum figuras complexum. Quod studium quum diu latitans neglectumque iacens nondum penitus et apud omnes effloruerit, ex Koppii dissertatione prolixa praecipua capita breviter excerpere operae pretium esse arbitratus sum, praesertim quum ipse, ex quo hausi, fons non unicuique pateat neque tanto quisque otio fruatur, ut haec copiose pertractata curiose persequatur.

Iam vero ex ista notarum Tironianarum scientia variis modis utilitas potest percipi. Palaeographis et philologis [1]) praecipue quod litteras vulgares et sigla lectu reddit faciliora, quod certam rationem praebet ad definiendam codicum manuscriptorum aetatem, quod denique novum criterium offert, quo verae lectiones a falsis distingui possunt. Sunt et diplomatici, quibus ea prodest notitia, quum notae istae in chartis et diplomatis regum Francorum primae et secundae stirpis saepissime occurrant [2]).

Fuerunt complures, qui notas Tironianas *κρυπτογραφίαν* quandam esse suspicarentur: quod si verum esset, nulla facile

---

[1]) Kopp. hoc loco et etiam alio Palaeogr. Crit. III. p. 20. palaeographos et philologos diserte distinguit; quae distinctio, quo argumento nitatur, non satis perspicio. [2]) Dignoscuntur falsae a veris lectionibus. Sic in pandectis Florentinis alicubi propter figurarum similitudinem legitur: *susceptam* pro *suspectam*. Kopp. l. l. I. p. 339.

idonea ratio posset excogitari, cur codices Psalmorum, commentationum de astris, legis Salicae, et alii eiusmodi hisce notis perscriberentur. Praecipuus finis fuisse videtur festinatio, ut paucissimis calami ductibus scriptio absolvererur: inde litteras decurtabant et contrahebant, non tamen pro lubitu alias litterarum formas assumebant [1]).

Hinc apud Romanos discrimen inter notata et perscripta. Hoc loco legatur L. 40. D. de milit. testam. [2]), ubi quaeritur de testamento notis scripto, dum mortuus erat testator antequam litteris perscriberetur. Trahitur huc quoque a Koppio Suet. Galba, cap. 5. qui locus, num faciat ad agitatam quaestionem equidem valde dubito. Scribit enim Suetonius ditatum paene fuisse Galbam ex testamento Liviae Augustae. HS. namque quingenties cum praecipuum inter legatarios habuisset, *quia notata non perscripta erat summa*, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne haec quidem accepit.

Sed quaeritur hic de quantitate legati Galbae relicti: non igitur necesse est cogitare notas Tironianas sed potius numeros dubios, quibus legatum expressum esset. Cum Koppio tamen facit Torrent. in annotat. ad h. l.

Itaque, ut dixi, non *κρυπτογραφία* est, sed *ταχυγραφία*: inventae enim sunt notae, quo tempore omnia litteris maiusculis scribebantur. Et hoc observandum, neque materiam neque scribendi instrumenta eadem iis, quae nobis fuisse. Inde quoque explicanda videtur asperitas et rigor in notis, quia in cera, in ligno, non calamo, sed stilo scribebantur. Plin. sec., Lib. VII. Ep. 27. Hor. Sat., I. 10. 72. Plaut. Bach., IV. 4. 63. [3]).

---

1) Non desunt tamen qui notis istis omnem litterarum vulgarium formam abnuant. Manil. et Plutarch., Pedius ICtus in L. 6. D. § ult. de bonor. poss. (XXXVII. 1.), Isid. Hispal: Notae autem dictae eo, quod verba vel syllabas praefixis characteribus notent. Vide Kopp. l. l. I. p. 42. Adiecimus Alphab. Tiron. in charta I. B. 2) Vide Torrent. in notis ad Suet. Galbam, cap. 5. 3) Kopp. l. l. I. p. 12 seqq.

Notarum figura denique diligentissime est observanda, quoniam pro mutata lineolae aut puncti positione notae plane aliam obtinent significationem. Vide in charta nº. 1. A.

Si quaeritur de notarum historia, haec praecipue tenenda. **Ταχυγραφίαν** noverunt antiquiores populi, Aegyptii, Graeci, et forte Hebraei. De tribus Aegyptiorum scribendi generibus conferendi Porphyr. de vit. Pyth. cap. 11 et 12; Clem. Alexandr. Stromat. Lib. V, p. 555 seq. Graecorum cogniti sunt *ταχύγραφοι* et *ὀξύγραφοι*. Diog. Laert. in vita Xenoph. L. II. segm. 48; de Hebraeis ex unico loco confici posse videtur Psalm. XLV. vs. 2: Lingua mea est veluti tachygraphi stilus. Eam igitur artem, non tamen ipsas notas Romani a Graecis acceperunt.

Tachygraphos describit Manilius, Augusti aequalis. Astron. IV. vs. 197:

Hic et scriptor erit velox, cui littera verbum est,
Quique notis linguam superet, cursimque loquentis
Excipiat longas nova per compendia voces.

Huc pertinet Suet. locus a Lipsio emendatus, qui, ni fallor, Koppium fugit, Aug. cap. 64 in fin. Nepotes et litteras et notare aliaque rudimenta per se plerumque docuit, ubi vulgaris lectio: *natare*, quamquam acriter a Torrent. in annotat. ad h. l. defensa, vix tenenda videtur. Conf. porro Mart. Epigr. XIV. 202. et Auson. Epigr. 138.

Sed utrum haec ad notas Tironianas pertineant an ad aliud genus *ταχυγραφίας* dubitatur. Sed ad illas referamus potius haec ex Plut. in Cat. Utic. IV. p. 400 R. *τοῦτον μόνον, ὧν Κάτων εἶπε, διασώζεσθαί φασι τὸν λόγον, Κικέρωνος τοῦ ὑπάτου τοὺς διαφέροντας ὀξύτητι τῶν γραφέων σημεῖα προδιδάξαντος, ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων ἔχοντα δύναμιν, εἶτ' ἄλλον ἀλλαχόσε τοῦ βουλευτηρίου σποράδην ἐμβαλόντος. οὔπω γὰρ ἤσκουν, οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους, ἀλλὰ τότε πρῶτον εἰς ἴχνος τι καταστῆναι λέγουσιν.*

Adiiciatur Augustin. de doctr. Chr. L. II. c. 26. Quinctil. VII. 2. 24. Sed ad diiudicandam antiquitatem notarum obstat primo loco, quod non nisi Scholia in codicibus iis notis sunt scripta, altero, quod horum librorum nullus ante medium aevum scriptum est. Verisimillima est coniectura notas sensim sensimque esse natas: quî enim vocabulorum serioris aetatis notae aut Tironi aut Senecae tribuerentur? Nomen notarum Tironianarum medio demum aevo invaluit. Primus Tironem auctorem dixit Eusebius a°. 335 p. C. n. et Hieronymus a°. 373 p. C. n.; a quo tamen nomen habere videntur, non a tironibus, qui eos edocebantur. Hoc autem de aetate potest confici, quod ante litterarum, quae cursivae dicuntur, usum inventae sunt, quia pro *ταχυγραφίᾳ* tantummodo habendae sunt vigentibus adhuc litteris maiusculis.

SATIRA VIII.

SCHOLIA EX CODD. A. ET B. (VOSSIAN.)

De claritate nobilium tractat.

Claritas et nobilitas idem est. Hac autem satira de generositate nobilium disputat dicens nihil esse nobilitatem carnis, nisi nobilitatem mentis quis in morum probitate servaverit. Loquitur autem ad quendam Ponticum Rubellium Blandum, qui cum turpiter viveret iactabat suam nobilitatem.

Vs. 1. *Stemmata:* stemma dicitur genealogia i. e. familiae nobilis descriptio.

Vs. 3. *Aemilianos:* Aemilii nobiles et triumphales viri fuerunt, unde et statuae eorum currus habebant.

Vs. 4. *Nasumque minorem:* nasum minorem dicit vel vetustate detrita a statua, vel quia in proelio nasum amisit et ideo adhuc in statua absque naso erat depictus Corvinus.

Vs. 5. *Auriculis nasoque carentem:* Carentem auriculis vel mutilatis in statua vel quia hoc supplicio affectus est: nam antequam ab Othone occideretur, truncati sunt ei nares et aures.

Vs. 6. *Quis fructus caet.* i. e. [1]) quid prodest, quod imperatores et magistros equitum dicis esse parentes tuos.

Vs. 9. *Lepidis:* Lepidi nobilissimi fuerunt: quid, inquit, prodest Lepidorum statuas erigere, si nulla eis reverentia exhibetur, sive potius turpia quaeque aguntur coram eis.

Vs. 10. *Alea pernox:* aleam reprehendit: quare, inquit,

---

[1]) Solita nota Tiron. indicatur. Hic tamen significatio siglo suprascripta est.

bellatorum imagines eriguntur, cum nullus non [1]) modo non bellat sed potius tota nocte omnes aleam ludunt et inebriantur atque vanis occupantur rebus.

Vs. 11. *Ortu Luciferi:* Romae positis Africa in oriente videtur unde Lucifer inde mane videtur [2]) surgere: ut [3]) tibi deserit Hesperus Oetam: nam his, qui in Thessalia sunt, videtur Lucifer in Oeta monte oriri.

Vs. 13. *Magna ara:* magnam aram dicit [4]) aut Herculis aut nobilium parentum: nam nobilibus mortuis arae statuebantur.

Vs. 14. *Fabius:* Fabium pro quocumque nobili posuit, qui fuit de genere Herculis et in Gallia latifundia et magnas possessiones habuit.

Vs. 15. *Euganea agna:* Eugane locus est Galliae, optimae lanae ferax, unde agnam [5]) pro lana posuit.

Vs. 16. *Catinensi pumice:* Catina civitas et Siciliae, ubi Venus aliquando colebatur et omnis licenter ibi exercebatur libido: pumex autem est saxum tenerum et cavernosum, quod facile resolvitur. Catinensem ergo pumicem pro teneritudine luxuriae posuit. Dicitur autem Catina civitas, non Catena: hinc et Catinenses.

Vs. 17. *Emptorque veneni* i. e. debet emere venenum ut se interficiat, potius quam malae famae sit. Nam rei timentes ad venena confugiebant [6]).

Vs. 18. *Funestat:* ponens, inquit, imaginem suam, quae frangenda est, inter statuas parentum suorum, polluit eas.

Vs. 19. *Cerae:* primo imagines cerae, deinde fusiles fiebant: vel ideo veteres ceras [7]) dixit, quia pictae imagines cera oblinebantur, ne pictura deleretur [8]).

---

1) Sic legendum puto: Deëst *non* in utroque Cod. 2) *Videt* Cod. A. 3) *Sic et Virgilius.* Cod. B. 4) Deëst: *dicit* in utroque Cod. 5) *Agnum.* Cod. A: totum Scholion abest e Cod. B. 6) Sic Cod. B., *nam retimentes advena confugiebant.* Cod. A. 7) *Cerae.* Cod. A. 8) Altera pars huius Scholii, abest a Cod. B.

Vs. 20. *Nobilitas sola*, *caet.*: nobilitatem non carnis esse sed morum; et est definitio. Quid est nobilitas? virtus.

Vs. 21. *Moribus esto:* i. e. pluris valent apud te optimi mores, quam nobilitas generis. valeant

Vs. 23. *Praecedant caet.*: Ipsorum, inquit, regum sceptra et consulum nobilitas non valeant tibi tanti, quanti boni mores, quibus efficiaris nobilis.

Vs. 26. *Salve*, *Gaetulice:* i. e. sive fueris barbarus, ut aliquis Getulicus vel de progenie alicuius crudelissimi, sicut fuit Syllanus et mores bonos habueris, salutabo te sicut nobilem dicamque: Salve, Gaetulice [1]).

Vs. 27. *Rarus civis:* ideo dicit quia rarissime invenitur quis et nobilis et bene moratus.

Vs. 29. *Osiri invento:* Osiris gigas fuit, frater Tithonis (l. Typhonis), a quo dilaniatus est, quem Isis uxor eius diu quaesivit et tandem inventum illum salutavit, unde populus, qui eius colit festa simulat se illum quaerere, et inveniens eum tandem salutat Graece his verbis: *εὑρήκαμεν νῦν σέ* [2]), i. e. veneramur te [3]).

Vs. 32. *Nanum*, caet.: Sicut, inquit, aliquem nanum Atlanta vocamus per contrarium, cum Atlas maximus fuerit Gigas: ita per contrarium aliquem turpiter viventem possumus vocare nobilem, cum tamen non sit nobilis.

Vs. 34. *Europen:* Europe pulcherrima fuit virgo, quam Iovis [4]) rapuit: ex cuius nomine tertia pars mundi dicta est Europa [5]).

Vs. 39. *Rubelli Blande:* Rubellius Blandus et Ponticus dicebatur.

Vs. 43. *Texit:* telam sc. alterius. *Sub ventoso aggere*, i. e. sub divo.

---

[1]) Haec verba: *dicamque Salve Gaetulice* ineptissima alius manus mihi esse videntur: qua de re vide prooemii pag. 8. [2]) *Eurekamensin se.* Codd. A. B. [3]) Ineptissimus pannus, ut videtur, alia manu assutus. [4]) Hanc formam luculenter uterque Cod. exhibet. [5]) Sic Cod. B. *mundicita* Cod. A.

Vs. 44. *Humiles:* i. e. ignobiles, unde et terrae filii esse dicuntur, ut supra, unde fit ut malim fraterculus esse Gigantum, i. e. terrae filius ac per hoc ignobilis.

Vs. 49. *De gente togata:* togatam gentem nunc plebeiam dicit. Omnis enim sexus omnisque conditio apud Romanos toga utebantur: sed hoc intererat [1]) inter servos et dominos, quod servi colobia et tincto calceos non habebant.

Vs. 51. *Domitique Batavi:* Batavium regio est Galliae: aquilas vocat signa militaria; nam Romanorum vexilla aquilam habebant in sui summitate propter Iovem, ut per hoc ostenderent se de Iovis stirpe descendisse. Custodes autem aquilas dicit, quia quodammodo ipsa signa subditas regiones custodiebant, apud quas cum militibus relinquebantur, ne rursus in rebellionem assurgerent.

Vs. 53. *Hermae*: Herma vocatur capitellum, quod superponitur columnae ligneae vel marmoreae vel aereae; talis, inquit, es, qualis est truncus capitelli.

Vs. 61. *Clara fuga caet.:* hoc est in optimis equis laudabile [2]), ut primi incipientes currere commoveant pulverem primi [3]) et bonum motum habeant.

Vs. 62. *Corythae:* Corythus civitas est Tusciae, ubi optimi equi inveniuntur. Hirpinus mons est in Sabinis, similiter equorum ferax: dicimus autem hic Corytha equus masculino genere, sicut hic vir agricola. Equus, inquit Corytha et Hirpinus, licet de nobili stirpe equorum sint, tamen non [4]) venumdantur, nisi sint veloces et fortes.

Vs. 66. *Epiredia:* Epiredia dicuntur minores rhedae: non, inquit, ducunt currus, sed pauperum minora vehicula.

Vs. 68. *Non tua:* i. e. ea, quae circa te sunt sc. nobilitatem, quam accepisti a parentibus.

Vs. 73. (Alia, ut videtur, manu) *communis:* putat se nulli communicare in nobilitate et pulchritudine.

---

1) Sic Cod. B. *intereat.* Cod. A. 2) Sic Cod. B. *equis quis* Cod. A. 3) Contentit h. l. uterque Cod. 4) Abest: *non* in Cod. A.

Ib. *Rarus* caet.: raro, inquit, contingit ut illi, qui nobiles sunt, communia de se et de aliis sentiant. Tument enim speciali privilegio dignitatis et putant se specialiter et non secundum communem hominum naturam progenitos et natos.

Vs. 74. *Sed te* caet.: Nolo [1]) inquit, ita te incumbere laudibus parentum, ut tu per te ipsum nihil virtutis agas.

Vs. 77. *Ne collapsa* caet.: proverbium est per translationem dictum; sicut, inquit, tectum columnis suis sustentatum [2]) decidit, si columnae subducantur, ita laudis expers sit [3]), qui in parentum laude confidit, si illorum memoria forte deficiat.

Vs. 79. *Esto* caet.: iam venit ad praecepta, quibus nobilis quis fiat.

Vs. 82. *Admoto tauro:* taurum tormenti est genus, quod primus quidam Agrigentinus tyrannus invenit, quod ipse post expertus est. Fecit enim aeneum taurum et in eius latere ostium fecit, per quod intromitterentur rei et admoto igni incenderentur vivi, qui dum clamarent videbatur taurus mugire. In hoc missus est beatus Eustathius [4]).

Vs. 86. *Gaurana:* Gaurana [5]) vocatur litus Baianum. Hinc Gaurana dicuntur ostrea, quae ibi colliguntur.

Ib. *Aeno:* i. e. licet utatur calidis et frigidis unguentis, sicut Nero pro balneis.

Vs. 88. *Pone irae:* hoc et Boëthius exsequitur pleniter, quia omnis scelestus damnatur, licet aliquis desit, qui eum exterius puniat. Conscientia enim mala et ipsa iustitia eum damnat, similiter iustum numquam dicit esse sine remuneratione, etiam si desit remunerator.

Vs. 90. *Ossa vides* caet.: non, inquit, propter nobilitatem tuam speres [6]) diuturnitatem vitae [7]): vides enim ipsos reges velociter mori.

---

[1]) *Nolo:* Codd. A B. [2]) *Tentatum.* Cod. A. [3]) *Expressit:* Cod. A. [4]) Vide prooem. pag. 8. [5]) *Grana:* Cod. A. [6]) *Sperare* Cod. A. [7]) *Vitae* abest e B.

Vs. 92. *Fulmine:* fulmen pro vindicta.

Vs. 94. *Piratae:* piratae sunt latrones maritimi.

Ib. *Cilicum:* Cilices semper exercuerunt piraticam in tantum, ut Cilices pro piratis et piratae pro Cilicibus apud auctores ponantur. De Tharso autem Ciliciae fuit beatus Paulus.

Vs. 98. *Olim:* olim, inquit, non ita gemebant pro rebus perditis homines, quia omnia abundabant illis et plurima habebant [1]).

Vs. 99. *Victis:* i. e. superatis, ut bona deriperentur sua.

Vs. 103. *Phidiacum* caet.: laus est picturae quod dicit vivebat. Tales, inquit, erant imagines, ut vivere putarentur.

Vs. 107. *Occulta spolia:* quia spolia dixerat dicit et triumphum, quod victis hostibus celebrari solet.

Vs. 107. *De pace* i. e. cum pax esset et ideo dicit occulta spolia, quod hoc tempore illi [2]) non audebant aperte spolia auferre.

Vs. 108. *Grex* caet.: μικρολογικῶς dixit gregem equarum, cum armentum debuerit dicere, nam grex caprarum est vel porcorum vel ovium. Virgilius: quinque greges illi balantum, quina redibant armenta.

Vs. 112. *Despicias tu:* sive quia minores sunt criminibus ad comparationem Romanorum.

Vs. 114. *Resinata iuventus:* i. e. resina peruncta: nam solebant molles resina perungi, ut pilos corporis auferrent et plani essent. Est enim genus unguenti, quod pilos aufert et vocator colurum [3]).

Vs. 116. *Horrida* caet.: Hispania, inquit, et Gallia non ita sunt fertiles, sicut supra dictae regiones et ideo fortiores sunt, vel his [4]) ergo parces.

Vs. 117. *Messoribus:* messores dicit Afros.

Vs. 118. *Qui saturant urbem:* Africa annonaria est, unde

---

1) *Abundabant lo abebunt* Cod. A. 2) Haec: *hoc temp. illi* notis scripta sunt; ideoque non prorsus certa. 3) Quid sit nescio: an collyrium? 4) *Is.* Cod. A.

et frumenta inde Romam advehebantur navigio, unde [1]) et Afros messores vocat.

Vs. 119. *Praemia:* [2]) praemium τῶν μέσων est, ergo et pro supplicio et pro remuneratione ponitur.

Vs. 120. *Marius:* Marius Africae praefectus fuit; quam cum exspoliasset damnatus est propter repetundas pecunias. Modo, inquit, pauperes sunt Afri et spoliati a Mario. Si ergo volueris depraedari fortiter tibi resistent.

Vs. 126. *Sibyllae:* Sibylla in antro Apollinis dabat responsa et scribebat ea in foliis palmarum et ordinabat ea, sed si forte vento disturbarentur non curabat ea iterum ordinare.

Vs. 128. *Acersecomes:* acerse proprium pueri comati et delicati. Sensus autem est: si non habueris aliquem amasium puerum, cuius suggestione iudicium pervertas, ut aliquem iniuste damnes et si fuerit tibi uxor bona et comites sancti, tunc poteris te iactare de nobilitate cuiuscunque generis.

Vs. 130. *Celaeno:* una est Harpyiarum vocatque hoc nomine alicuius raptricem coniugem.

Vs. 131. *a Pico:* Picus rex fuit Latinorum, pater Fauni, patris Latini regis.

Vs. 133. *Promethea:* Si, inquit, iustus fueris licebit tibi, ut de stirpe Titani dicas te descendisse vel de stirpe ipsius Promethei, qui hominem de limo dicitur formasse.

Vs. 137. *secures:* rei enim primo caedebantur virgis et sic securi feriebantur.

Vs. 139. *claramque facem:* nobiles cum face depingebantur propter famam virtutum, qui autem male agit odit lucem. Si, inquit, malus fueris, ex claritate parentum tuorum tua improbitas maior apparebit.

Vs. 140. *tanto conspectius:* idem est quod illud, quanto gradus altior, tanto casus gravior.

Vs. 142. *falsas tabellas:* falsas tabellas dicit, in quibus testamentum solebat alicui facere et illud nomine suo confir-

---

[1]) Solita nota Tironiana. [2]) Vide Schop. in progr. Bonn. pag. 21 § 25.

mare. Apud antiquos maximae quaeque res in templis et publicis locis fiebant.

Vs. 145. *Santonico:* Santonicus color est fuscus et vilissimus, quo inficiebant se, qui ad lupanar pergebant ne agnoscerentur.

Vs. 148. *sufflamine:* sufflamen vocatur illud, quod opponitur ad retinendam rotam, ne currat lapis sc. vel lignum quadrangulum.

Vs. 149. *Nocte quidem:* quasi vox Damasippi, nocte quidem, inquit, ago quod tu dicis, quando nullus me videt et infert poëta: sed luna videt.

Vs. 150. *tempus honoris:* singulis his annis comitia fiebant.

Vs. 156. *iurat solam* caet.: In tantum erant dissoluti nobiles et iuvenes, ut agasonum officia ipsi peragerent et dum his nugis erant dediti putabant se triumphare, unde et agnam albam immolabant: sicut Numa faciebat cum triumphabat [1]).

Vs. 157. *Eponam* [2]): Hippona dea erat equarum et agasonum; *ἵππος* est equus.

Ib. *facies pictas:* pictas facies dicit imagines agasonum vel equarum, quae erant depictae in praesepibus.

Vs. 158. *popinas:* popina dicimus culina iuxta thermas posita, in qua egressi a balneis reficiebantur: vocatur popina ab eo, quod est pina i. e. fames, eo quod ibi pelleretur fames.

Vs. 159. *udus amomo:* progrediente illo a Thermis. Non occurrunt ad salutandum eum nobiles et potentes, sed unguentarii et panefici et pistores et coqui [3]).

Vs. 160. *Idumaeae* [4]): Idumaea civitas est ubi sunt [5]) plurimae palmae. Virgilius: primus Idumaeas referam tibi

---

[1]) Sic Cod. B. *cum faciebat* Cod. A. [2]) Hippona: *Ypona* Codd. A B. [3]) In margine, sine ullo signo, adhuc exstat: *Artax claudus*, quod quo referendum sit, nescio. [4]) Abest Scholion e Cod. B. [5]) Solita nota Tironiana.

Mantua palmas; in cuius porta manebat iste, qua sunt et unguenta vendentes [1]).

Vs. 162. *lagena:* nec lagenam, inquit, deponit dum eum salutat.

Vs. 168. *Thermarum calices:* Calices Thermarum vocat illos, qui post thermas propinabantur lavatis in popina, ad quos pueris et pauperibus ire licebat.

Vs. 169. *Maturus bello* i. e. ad tam perfectam aetatem pervenit, ut iam possit a finibus Romanorum barbaros repellere, nam Romani omnibus [2]) gentibus imperarunt, praeter Armenis, Persis atque Gothis.

Vs. 170. *Rheno* caet.: Rhenus Galliae, Ister Scythiae fluvius est, qui dividunt fines Romanorum a barbaris.

Vs. 171. *Mitte ostia:* tu, inquit, o Caesar, putas legatum [3]) barbaris obsistere, ne per ostia fluminum ingrediantur regnum tuum: sed ille iacet in popinis.

Vs. 172. *legatum:* i. e. si vis legatum esse et aliquo dirigere.

Vs. 175. *sandapilarum:* sandapila est feretrum plebeiorum, in quo efferuntur plebeiorum cadavera.

Vs. 180. *Tusca ergastula:* i. e. opera rusticana: vel in carcerem dicit Tullianum, qui est apud Tusciam.

Vs. 181. *vobis ignoscitis:* i. e. veniam datis vobis et propter nobilitatem vestram omnia turpia putatis vobis [4]) licere.

Vs. 186. *Sipario:* Sipharium dicitur omne, quod ante cantantem pro pretio suspenditur. Damasippus autem iste omne patrimonium prodige consumpsit: in tantum, ut theatro se traderet et ibi declamaret, quatenus inde aleretur.

Ib. *Phasma:* phantasma et phasma idem est: sed phantasma aliquando verum [5]) est, phasma semper dubium: age-

---

1) Cod. A: *vendens.* 2) Solita nota Tironiana. 3) *Legatum* scripsi ex coniectura. Cod. A. *putas i. e. barbaris* caet. quod absurdum, Cod. B, *putas barbaris*, quod si legis, sequentia non recte procedunt. 4) *Vos.* Codd. A B. 5) *Vera — dubia* Codd. A B.

res ut [1]) phasma Catulli i. e. ut quod ille cithara caneret tu voce exprimeres.

Vs. 190. *triscurria:* triscurrium dicimus multiplex scurrilitas et componitur ex eo quod est tris et scurrilitas.

Vs. 192. *Mamercorum:* Mamercus nobilissimus fuit, unde Mamercorum dicitur familia. Alapas autem dicit, quas [2]) in gladiatura dant et excipiunt.

Ib. *Quanti* caet. Pretio, inquit, nobiles emunt, ut gladiaturam administrent et ibi aliquando interficiuntur: ergo pro funere sui cadaveris accipiant gladiaturam ut pereant.

Vs. 193. *nullo cogente Nerone:* Nero aliquando nobiles administrare gladiaturae officium iubebat, ut sic saltem eos interficeret: sed dicit: Nero iam non cogit et tamen fiunt gladiatores [3]).

Vs. 195. *Finge tamen:* finge, inquit, in mente, quid [4]) melius sit aut mori gladio aut ludere in scena: utique melius mori.

Vs. 197. *Zelotypus:* Zelotypia, proprie est ira, quae est contra uxorem, vel pro uxore contra alium.

Vs. 200. *Mirmillonis.* Mirmillo quidem gladiator fuit: gladiatores autem armis instructi ludebant. Nero autem exosor fuit omnis [5]) virtutis, in tantum ut gladiaturam exerceri armis prohiberet: ob hoc utique quod et regnum [6]) persaepe armis agitur: qua propter pro gladio in ludis tridentem ferri iussit.

Vs. 203. *Nec galea* caet. Neronem dicit etiam gladiaturam exercuisse spectante populo.

Vs. 207. *tunicae:* ferunt historiae, quod Nero indutus tunica puerili h. e. talari tradiderit se viro: inde [7]) moderate [8]): credamus tunicae i. e. illis quae de Nerone referuntur tunica induto [9]).

---

1) Deest *ut* in Cod. A. 2) *Qua* Cod. A *quia* Cod. B. 3) Haec notis Tironianis scripta sunt, quas ex coniectura sic interpretatus sum. Vide in Tab. II. 4) *Quam quod* Cod. A. 5) Haec nota Tironiana. 6) Notis Tir. Sic legendum puto. 7) Solita nota expressum. 8) *Modt* Cod. A. 9) Scholion deest in Cod. B.

Vs. 208. *galero:* galerus est genus pilei rotundi, dictum a similitudine galeae: proiecit, inquit, galerum a capite, quem gestabat et indutus est puerili tunica.

Vs. 209. *Ergo ignominiam* caet.: melius, inquit, esset ut vulnus gravissimum aliubi perferret, quam ad ignominiam tantam perveniret, ut gladiaturam exhiberet.

Vs. 211. *suffragia:* suffragia dicuntur auxilia: hinc suffragari dicitur [1]) auxiliari, Nero magistrum suum Senecam interfecit. Dicit ergo: si detur populo libera electio ut libere auxilietur partibus Senecae: quis dubitabit Senecam praeferre Neroni? nullus.

Vs. 214. *culeus:* Culleus enim dicitur saccus parricidalis, ubi intromittebantur rei et cum iis includebantur simiae et serpentes, qui eos roderent et Nero multos de suis occidit parentibus [2]).

Vs. 215. *Par* caet.: Nero matrem suam occidit, sicut et Orestes, sed Orestes ulciscens patrem matrem Clytemnaestram interfecit cum Aegistho adultero: Nero vero occidit suam, sed non simili causa.

Vs. 218. *Electrae:* Electra soror fuit Orestis, quam ipse non corrupit, sicut Nero suam: quam postquam corrupit interfecit etiam [3]).

Ib. *Spartani:* Sparta civitas est Lacedaemoniae. Significat autem Hermionem, filiam Helenae, quam sponsavit Orestes, sed Pyrrhus eam accipiens interfectus est ab Oreste. Noluit tamen Orestes eam uxorem postmodum ducere, quia Pyrrhus ei fuerat cognatus.

Vs. 221. *Troica*: non Troica scripsit h. e. excidium Troiae: et volens cognoscere quantum fuerit incendium subversae Troiae iussit Romam incendi et per hoc nactus occasionem senatores quoque interfecit.

Ib. Virginius et Galba Neronem Domitianum occiderunt:

---

[1]) Solita nota Tiron. [2]) Ad imam paginam nullo signo haec exstant: *supplicium parricidae Culleus.* [3]) *Et postquam corrupit eam.* Cod. A.

ob quam rem postmodum publice puniti sunt: quod factum dolet poëta et dicit: unde meruerunt ulcisci i. e. puniri, qui tantum tyrannum occiderunt. Quid, inquit, sceleris commiserunt Virginius et Galba in morte Neronis, quare debuerunt ulcisci, ut morerentur pro morte Neronis [1]).

Vs. 223. *Quid Nero* caet.: ne quis diceret: sed Troica bene scripsit, ad hoc dicit poëta in tanta tyrannide nihil fecit, cum urbem suam ardere videret intrepidus.

Vs. 226. *apium:* apio coronabantur poëtae, quia semper viret, et Nero hoc coronabatur, quia poëta fuit.

Vs. 227. *Maiorum effigies:* Mos fuit olim, ut si quis aliquid fortiter gessisset statuam mereretur in foro et ante statuam titulus gestorum suorum ponebatur ob aeternam memoriam. Sed hanc dignitatem Neronis tempore praeconibus et vocimissariis, quia bene possent canere, dabant, non illis, qui fortiter quid egerunt.

Vs. 229. *syrma:* syrmam ponit [2]) pro tragoedia et est etiam syrma longaria i. e. longa scriptura. Ante statuam, inquit, Neronis nihil aliud ponatur nisi tragoediae, quas scripsit: aliud his non meretur, quia nihil aliud gessit.

Vs. 230. *Colosso:* colossus vocatur statua marmorea et alta.

Vs. 231. *Catilina*: Catilina consul fuit nobilissimus, qui dolens in consulatu sibi praelatum Ciceronem cum Cethego, Lentulo et Gabinio et reliquis coniuratione facta urbem paravit incendere, quod per Fulviam ancillam detectum et indicatum est Ciceroni, qui omnes qui coniuraverant comprehensos in carcerem Tullianum damnavit, praeter Catilinam, qui in acie periit.

Vs. 232. *Arma tamen vos:* ostendit hoc loco rempublicam labefactam saepe nobilium superbia et sublimatam ignobilium humilitate atque virtute.

---

1) Ultima alterius, ni fallor, sunt Scholiastae. Vide in procem. p. 8.
2) *posuit* Cod. B.

Vs. 234. *Braccatorum* caet.: Gallia trifariam dividitur: in togatam, braccatam et comatam. Galli togati sunt Aeduenses. Galli braccati sunt Senones, qui urbem tenent, quae metropolis est Galliae. Galli comati sunt maritimi Galli et cis Rhenum positi. Nam Galli Senones duce Brenno [1]), cum Romam captam vellent incendere, restitit iis Manlius voce anseris excitatus.

Vs. 235. *tunica molesta:* lege decretum erat, ut si quis urbem suam tentasset incendere tunica pice obducta indueretur et igni traderetur. Hanc ergo tunicam molestam dicit.

Vs. 238. *Municipalis Eques:* i. e. curialis: nam municipes dicebantur, qui Romanis in omnibus erant participes [2]), excepto quod legum lationes dare non poterant nec suffragia ferre valebant. Curiales autem erant decani et reliqui, quibus minora committebantur ministeria.

Vs. 240. *toga:* toga pro pace ponitur, qua Romani utebantur in pace.

Vs. 241. *Quant. non Leucade:* maiorem, inquit, gloriam promeruit Cicero per pacem, qui intra muros urbis sedavit coniurationem, quam Octavianus per bella civilia; quia apud Leucaten promontorium primo bello vicit Antonium et Cleopatram et in Thessalia Brutum et Cassium superavit.

Vs. 242. *Octavius:* Octavium vocat Octavianum Augustum ab Octavia eius matre, sorore Iulii Caesaris, quem ipse optavit in filium.

Vs. 244. *Patrem Patriae:* Hoc nemo umquam ante Ciceronem promeruit, ut pater patriae diceretur.

Vs. 245. *Arpinas alius:* Marium significat, non illum qui damnatus est, sed quendam Consulem, qui primo rusticus fuit, deinde lixa i. e. servus militum. Nam lixae dicuntur servi militum, qui et calones vocantur a lignis, quae gestant: postremo factus est Consul.

Vs. 248. *Si lentus:* Si lentus, inquit, fuisset in munien-

---

[1]) Cod. AB. *Brennone.* [2]) Sic Codd. AB. coniicio legendum: *pares.*

dis castris, caput eius baculo terebatur et virgae eius illi capite frangebantur.

Vs. 249. *Cimbros:* Cimbri dicuntur Teutones vel Teotisci, quos vicit Marius Consul; hinc et Cimbricas res dicimus.

Vs. 252. *Corvi:* Corvos dicit aves, quae venerant ad prostrata cadavera Cimbrorum: aut corvos vocat Marium et Lutatium socium eius propter rapacitatem.

Vs. 253. *Nobilis collega:* nobilem collegam Lutatium dicit, qui cum Mario Teutones debellavit, qui quamvis esset nobilissimus, tamen Marius primum meruit triumphum, iste secundum i. e. ovationem. Marius de tauris, Lutatius de ovibus sacrificavit.

Vs. 254. *Deciorum:* Decii duo fuerunt pater et filius, qui ambo se [1]) pro salute reip. devoverunt. Cum maior Decius didicisset somno illius partis fore victorem [2]) exercitum, cuius dux se dedisset necandum, hosti se confodiendum tradidit sponte, quod et Decius filius absque somnio imitatus est [3]): similem meruit eventum.

Vs. 257. *Infernus*: infernus in terra dicitur esse et ideo Pluto parens dicitur esse terrae.

Vs. 258. *Quam quae* caet. sine dubio melius est id quod servat quam quod servatur, et ideo Decii meliores fuerunt quam legiones militum, quas servaverunt.

Vs. 259. *Ancilla natus:* Tullium dicit Servilium, filium Tarquinii non superbi sed alterius regis Romanorum natum ex captiva, qui cum aliquando [4]) dormisset in cunis flamma subito crines eius corripuit et cum famuli vellent exstinguere ignem, Tanaquil, uxor Tarquinii perita augurii fieri prohibuit: tunc flamma cum somnio puerum deseruit per quod intellexit eum usque ad mortem nobilem futurum.

Ibid. *Trabeam:* trabea genus est vestis purpureae: sunt autem duo genera trabearum. Unum est ex purpura et

---

[1]) *Se* abest. e Cod. B. [2]) *Victurum.* Cod. A. [3]) *Est*: deest in Cod. B.
[4]) *Aliquando* deest in Cod. B.

cocco, quod est regium: aliud [1]) ex purpura et albo, quod est pontificale.

Vs. 261. *Prodita laxabant* caet.: Brutus consul decrevit non esse recipiendum Tarquinium in regnum propter Lucretiam, uxorem Tarquinii, quam Aruns filius Tarquinii superbi violavit, ob quam rem se ipsam [2]) interfecit. Tunc Tarquinius cum auxilio Porsenae, regis Tusciae, Romam obsedit et, quia filii Bruti erant amici filiis Tarquinii, voluerunt illis civitatem aperire, quod, cum cognitum fuisset per servum Vindicium, iussit Brutus filios suos occidi.

Vs. 264. *Coclite:* Cocles Horatius in ponte Tiberis stans solus hostibus obstitit, usque quo a tergo eius Romani ipsum pontem destruerent et postea armatus se in Tiberim misit atque ad suos natavit, vulneratus in coxa: cumque improbraret ei quidam quod claudus esset, dixit: per singulos gradus meos recordor triumphi mei.

Ibid. *Mucius:* Mucius quidam Romanus fuit, cuius manus cum errasset in vulnere hostis exussit eam, usque quo arefacta est. Iuraverat enim se hostem suum interfecturum.

Vs. 265. *Virgo:* Cloelia virgo data est obses Porsenae a Romanis, quae ruptis foederis vinculis transnatavit Tiberim ad suos rediens, quam cum Porsena repeteret reddita est ei. Rursus ille reddens eam Romanis petiit, ut aliquid virile ei darent et illi consecraverunt equestrem statuam in foro.

Vs. 269. *Malo* caet.: sensus est: malo, inquit, ut ex ignobili nascatur aliquis fortis et bonus moribus, quam ut ex nobili descendat aliquis turpis et ignavus.

Vs. 272. *Ut longe repetas:* i. e. si recorderis non avos aut proavos sed ipsam originem Romanorum.

Vs. 273. *Asylo*: Romulus cum vellet urbem aedificare et paucos haberet socios fecit asylum i. e. templum refugii, ad quod cum [3]) rei confugerent sociabat eos sibi et cum eis Romam condidit.

---

[1]) *Alterum* Cod. B. [2]) *Illa* Cod. A. [3]) Deest: *cum* a Cod. B.

SATIRA VIII.

COLLATIO CODD. A ET B. (VOSSIAN.)

Inscr. De claritate nobilium tractat.

2 pictos B.
4 nasumque minorem B.
5 Corvini B.
deëst vs. 7. B.
8 famosos B.
11 ortus B.
14 erculeo.
17 squal. producat B.
27 Sillanus B.
34 Europem B.
37 quid. quod B.*
fremit B.
39 Mi B.*
40 blande B.
sanguine tamquam B.
44 inquit B.*
46 Cicropides B.*
49 gente togata B.
53 Cicropides B.
57 putat B.
59 exultet B.*
66 tritoque.
70 ac B.
75 ut tu.
87 provicia B.*
90 exucta B.
91 quod—quid B.*
92 maneat B.*
93 tutor ruer. B.
96 choerippe B.
In Codd. A B. 96. 95. 97.
98 nec B.
101 Sparthana B.
clamis B.
choa B.
102 parrachii.
103 policleti B.
105 deest: est. B.
113 chorinthon B.
115 leva. B.*
118 caenaeque.
circis scenaeque B.*
120 tenuis.
tenus B.*
123 relinques B.
124 spoliantes B.*
128 deest: *in* B.*
131 tum. tulicet B.*
133 pingas B.
135 ambitus B.

145 Sanctonico t. panonico B.*
147 Damasippus B.
151 Damasippus B.
152 nusquam B.
trepidavit.
157 Yponam B.
picta B.
163 dicit B.
166 resecantur B.
167 Damasippus.
Damas. t. Lateranus B.*
171 hostia.
174 aut — aut B.
179 facies B.*
181 aut.
183 quod B.*
186 siphario B.
196 si B.
198 principe natus B.
199 illic B.
201 gracchum aut B.
203 frontem B.
204 vibrata B.
220 horestes.
224 atque illae gener.
ille B.*
225 foeda B.*
saltu B.
228 domitii B.
233 noturna B.*
236 quo hercet.
241 ac B.
245 vulscorum B.*
249 chymbros B.
251 chymbros B.
256 plebe B.
266 eduxit B.
270 aeacida B.
271 thetersite.
producacat B.*
273 gente B.*

SATIRA VIII.

COLLATIO CODICIS GRONOVIANI N°. 80 ET COD. BIBL. PUBL. N°. 82. (SCHOPENI C.)

Inscr. De claritate nobilium t. natalium tractat ad Ponticum.

1 Stemata.
2 pictos C.
4 nasumque minorem C.
5 Corvini C.
7 deëst C.
8 famosos C.
11 ortus C.
13 alobroicis C.
17 producit C. produc̄ C.*
23 illas illi. ipsas illi C.*
24 michi.
25 iusticiae.
27 Sillanus C.
29 qui est C.*
32 athalanta.
33 parvam C.
34 Éuropem.
37 fremit C.*
39 michi.
40 blande C.
sanguine C.
43 aere.
49 gente.
venit et C.*
51 patavi.
heuphraten C.*
56 michi.
mitta C.*
66 tritoque C.
70 ac C.
75 sic tu.
nichil.
77 columpnis.
86 quos mi.
90 exusta C.*
93 monitor.
tutor C.*
Cod. 96. 95. 97. C. nata C.*
98 nec C.
101 clamis C.
coa C.*
103 phediacum.
policleti C.
104 raro C.*
105 dolobella C.
deëst: est C.
113 corinthon.
chorinton C.*

116 ispania C.*
120 tenuis.
affros.
123 relinques C.
131 tum C.*
133 ipsumque C.*
135 ambitus C.
142 michi.
145 santinico C.
147 damasippus C.
148 stringit C.
151 damasippus C.
152 nusquam C.
154 infundit C.*
ordea C.*
157 yponam.
ypona C.*
160 curret C.
ydimeae.
162 laguena C.*
163 dicit C.
michi.
167 damasippus C.
170 ethreno C.*
histro C.*
171 hostia C.*
174 aut — aut C.

186 siphario C.*
191 planip. qui.
195 deest: hinc inde atque hinc C.*
196 exoruit.
198 natus C.
201 aut pugnantem C.
203 frontem C.
nec C.*
204 vibrata C.
205 nequiquam C.*
206 harena C.*
208 longe.
215 par est. fecit C.*
220 horestes C.*
224 atque hae C* deest: sunt C.*
230 supende.
232 inveniat C.*
236 cohercet C.
241 ac C.
242 octavus C.*
245 vulsorum.
248 moninet.
258 qui C.
266 conduxit, eduxit C.*
274 quisquis primus.

SATIRA VIII.

COLLATIO COD. PERIZONIANI XVIII. Q. 38.

---

1 Stemata.
4 nasumque minorem.
5 Corvini.
7 deëst.
8 famosos.
11 ortus.
13 alobrogicis.
17 producit.
27 Scillanus.
34 europem.
37 fremit.
40 blande.
stemate.
50 nigmata.
62 posteritasque.
65 iubetur.
68 deest: primum.
70 ac.
75 si tu.
76 alienae incumbere.
83 nephas.
90 exuta.
93 tutor.
damnate.
95 nacta.
relinquit.

Vs. 96, 95, 97.
98 nec.
101 spthana.
clamis.
choa.
103 Phydiacum.
Policleti.
105 dolobella.
deest: est.
107 oculta.
109 enripietur.
113 corinthon.
114 restinata.
118 cyrco.
120 discinserit.
123 et argenti.
relinques.
131 tum.
132 tytanida.
135 rapiat.
ambitus.
137 ab lasso.
147 damasippus.
148 stringit.
151 damasippus.
154 ordea.

157 ypomonam.
160 occurrit.
161 regem dominumque.
166 resecantur.
167 damasippus.
171 hostia.
174 permotum.
aut — aut.
177 commnnia.
178 ulli est.
182 Volscos.
186 siphario.
194 non.
197 celotipus.
198 natus.
203 frontem.
204 vibrata.
206 harena.
218 electere.
219 achonita.
220 horestes.
221 virginius.
223 sceva.
225 saltu.
228 tieste.
231 cathelina.
236 cohercet.
241 ac.
246 mercedem.
256 plebe.
258 qui.
259 ancilas.
266 eduxit.
273 asyllo.
274 quisquis primus.

SATIRA VIII.

COLLATIO CODICIS PERIZONIANI XVIII. Q. 3.

---

2 pictos.
4 nasumque minorem.
5 corvini.
7 deëst.
8 famosos.
11 ortus.
17 producat.
entorque.
20 deest: est
24 michi
27 sillanus.
32 athalanta.
34 europem.
35 lenibus.
39 deest: est.
40 blande.
sanguine.
49 gente.
59 exultat.
64 respcctus maiorum.
65 unbrarum.
70 ac.
72 tradidit.
et inflatum.
75 si tu nichil
77 columpnis.
81 phaleris.
90 exuta.
93 tutor dampnante.
94 dampnatio.
96, 95, 97. Cod.
98 nec.
99 dampnorum.
101 clāmis.
102 minoris.
103 phediacum.
videtur exstare: polidori
105 dolobella.
107 et spolia.
113 chorinton.
123 relinques.
128 acersicomes.
129 opida.
133 pingas (suprascriptum: *t* ponas).
147 damasippus.
148 abstringit.
151 damasippus.
154 ordea.
157 inponam.
159 suvfenix.
160 idemcc.

166 resecantur.
167 damasippus.
170 histro.
171 hostia.
174 aut — aut.
175 frabros.
179 facies.
180 mitas.
182 volsos.
decebant.
183 pudentis.
186 syphario.
190 triscuria.
194 praedoris.
196 exorruit.
197 zelotipus.
198 natus.
202 dapnat.
203 frontem.
204 vibrata.
206 harena.
214 nec unus serpens.
culleus.

216 actoribus.
218 paritani.
219 deest: nullus.
220 cena.
224 deest: sunt.
225 saltu.
228 tomicii.
tieste.
229 menalipes.
231 cathelina.
nathalibus.
233 flamas.
236 cohercet.
241 ac.
242 octovius.
245 vulscorum.
249 chinbros.
251 chindros.
253 seconda.
256 ausiliis.
plebe.
265 tyberini.
266 eduxit.

SATIRA VIII.

COLLATIO COD. BIBL. PUBL. N°. 136 J.

---

1 stemata.
2 pictos.
4 nasumque minorem.
5 Corvini.
7 deëst.
8 famosos.
9 quid.
11 ortus.
17 producit.
33 parvam.
34 europam.
40 blande.
sanguine.
45 parentum.
47 ima in plebe.
56 theucrorum.
66 tritoque.
70 ac.
72 iratum.
75 si tu.
85 hostrea.
90 exuta.
93 tutor.
94 pirhate.
96, 95, 97. Cod.
98 nec.
101 clamis.
coha.
103 policleti.
105 dolobella.
108 bovum.
113 corinthon.
114 resinnata.
116 hyspania.
120 discinderit.
123 relinques.
130 Caeleno.
133 Promothea.
135 ambitus.
140 vicium.
141 qui peccat maior.
145 Sardonico.
147 Damasippus.
148 stringit.
151 Damasippus.
152 nusquam.
154 ordea.
156 numme.
157 iponam.
159 Syrophenis.

160 curret.
Syrophenis.
163 dicit.
167 Damasippus.
170 histro.
171 hostia.
174 aut — aut.
181 aut.
183 fedis.
186 Siphario.
187 et
191 planipedesque.
197 Zelotippus.
corynthi.
198 natus.
199 hoc.
illic.
201 graccum.
203 frontem.
204 vibrata.
206 harena.
208 longe.
210 sequtor.
218 poluit.
219 nulli.
220 horestes.
223 sceva.
225 saltu.
226 appium.
228 thieste.
236 cohercet.
242 thesaliae.
258 quam qui.
266 eduxit.
269 Thersistes.
270 eacidae.

SATIRA VIII.

COLLATIO COD. BIBL. PUBL. N°. 170 A.

---


2 pictos.
4 nasumque minorem.
5 corvini.
7 deest.
8 famosos.
dicietatore.
11 ortus.
14 herculeio.
16 attrictus.
17 producat.
18 funestat miseram frangenda.
20 deest: est.
27 silvanus.
32 athalanta.
33 parvam.
37 fremit.
39 blande Rubelli.
40 sermo.
sanguine.
42 concipiat.
46 Cicropides.
48 disponere.
50 enimata.
53 cicropides.
57 forcia.
64 nulla est.
66 tricto.
70 ac.
72 tradidit.
75 si tu.
nichil.
76 alienae.
90 exhausta.
93 et tutor et capito.
dapnante.
94 pyrate.
dampnacio.
96, 95, 97.
96 circonspice.
95 nata.
relinquit.
98 nec.
101 clamis.
choa.
102 et tunc parrasi.
mironis.
103 policleti.
105 dolobella.
111 ediculam.
113 corinton.
116 gaullicus ensis.
120 discuserit.

affros.
123 et
relinques.
128 arcesicomes.
130 celeno.
133 promecea.
135 ambitus.
139 praebere.
141 qui peccat maior.
145 sandonico.
147 damasippus.
148 stringit.
151 damasippus.
154 ordea.
157 ypomanem.
159 syrophenis.
160 idimee.
162 ciane.
163 dicit.
167 damasippus.
168 limina.
170 histro.
171 mite hostia.
173 percusore.
174 aut — aut.
178 ulli est.
180 agros (Lucanos).
mitas.
182 volusos.
decebant.
186 siphario.
191 fabios audit.
192 vendunt.
197 zelotypus.
thimeles.
198 natus.
201 pugnantem aut.
202 dampnat.
203 frontem.
ipse.
204 vibrata.
205 effundit.
206 harena.
209 inominiam.
214 culleus.
216 actoribus.
217 inter pocula media.
218 a Spartani.
220 horestes.
225 saltu.
226 prosterni.
et Graiae.
230 coloso.
231 cathelina.
233 paratis.
236 cohercet.
245 volusorum.
252 attingerant.
256 plebe.
266 eduxit.
274 quisquis primus.


INDEX.

CORRIGENDA.

Pag. 6 lin. 2 inf. insignum: leg. in signum.
» 13 » 3 sup. *ἀπώζειν:* » *ἀπόζειν.*


Arbiter
Ante
Animus
F
G
N
O
S
T
V

I.



(1) De hisce vide Kopp. l. l. I pag. 73 et 74.

Satirae VIII. vss 79 Seqq. ex Cod. C.

A.

Esto bonus miles · tutor bonus arbiter idem
Integer; ambigue siquando citabere testis
Incerte q; rei · phalaris licet imperet ut sis
falsus et amoto dictet periuria tauro
Summum crede nefas animam pferre pudori
Et ppter uitam uiuendi pdere causas;

Satirae VIII Scholion ad vs 193 ex Cod Vossiano A

B.

Nero aliquanto nobiles administrare gladiatu
re oficium iubebat · ut sic saltem eos interficeret.
sed dicit nero iam non cogit · [illegible] gladiatores